

De

bubula duceret in uxore et faceret eam consortem imperii sui magnam gratiam et honorem diceret fecisse asinario vel bubulo illi. Ita etiam filius imperatoris celestis eximia in hoc caritate ostendit quod carnes nostram assumpsit in sponsam eamque glorie sue fecit esse consortem. Nota quod quidam homines sunt asinarii et quidam bubuli. Asinarii sunt illi qui asino corporis sui onus laboris imponunt christo quoque servire compellunt. Bubuli sunt illi qui christo non seruiunt. sed tamen portum corporis sui pascunt. Porcus autem ad hoc comedit ut comedat. ita et corpora illa que tam gulose pascunt. tandem a vermibus comedentur. Cum igitur carissimi christus tantam caritatem nobis ostenderit. pro nobis videlicet nascendo. pro nobis moriendo. carnem etiam nostram sursum transferendo iustum est ut nos illum ex toto corde diligamus. ipsique fideliter seruiamus ut sic ante conspectum ipsius clementie veniamus. Quod nobis fiat.

Unica prima post epiphaniam. Sermo. xiiii.

Factum est post triduum inuenit ihesum in templo sedentem **Lu. 2. Actu. 1.** scribitur. Cepit ihesus facere et docere. et beatus Gregorius inquit Omnis christi actio christiani hominis est instructio. Quod ergo christus ihesus in templo est repositus. signum fuit ut nos in nostra puericia adolescentia ac iuuentute domus dei frequentemus. quod ut scribit **Trenor. 3.** Bonum est viro cum portauerit iugum domini ab adolescentia sua. et sapiens inquit **Eccl. 12. 12.** Que in iuuentute non congregasti quod inuenies ea in senectute. Ut ergo christum ihesum et gratiam eius inueniamus ipsum humilibus precibus in templo queramus. Quia factum est post triduum etc.

Factum est post triduum inuenit ihesum in templo sedentem in medio doctorum audientem illos et interrogantem. **Lu. 2.**

Nota quod in primo euangelio. **8.** nominari presertim in puero ihesu quod si quilibet homo fuerit imitatus sufficiunt ei ad statum salutis eterne.

Primum est quod pacem amavit etiam se amare factum demonstravit. Secundum est quod templum sicut cultum dei diligens frequentavit. Tertium est quod doctores prudenter auscultavit. Quartum est quod temporalibus rebus spiritualia preamavit. Quintum est quod magnam nobis in se ostendit humilitatem. Sextum est quod floruit per vite puritatem. Septimum est quod voluntati sue parentum proposuit voluntatem. Octauum est quod sicut proficiebat etate. sic etiam proficiet per sapientie et gratie claritatem. Primum igitur quod considerandum est in puero ihesu hoc est quod pacem amavit. etiam se amare factum demonstravit. Unde dominus in presenti euangelio quod consumatis diebus paschalibus cum redirent parentes eius remansit puer ihesus in iherusalem. Iherusalem visio pacis interpretatur significat igitur iherusalem pacem cordis. Qui enim habuerit hic pacem cordis perueniet ad visionem perpetue pacis. Per hoc itaque quod aliis